

35) Occisorum.

Vd.: *Sepult.* (a Parocho etc.)

Occisus seu casu moriens in confinio duarum Parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam, nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum; l. *Cum in diversis* 44. ff. de relig. et sumptib. funer. Et sic servat praxis et communis consuetudo, quae est optima legum interpres; cap.: *Cum dilectus* 8. de consuet. l. *Si de interpretatione* 37. ff. de legib.

36) SS. Papae.

Vd.: *Sepult. Cardinal.*

De obitu Pontificis et de curando ejus corpore ac de vigiliis persolvendis.

Postquam spiritum Creatori reddiderit, legant poenitentiarum officium mortuorum. Cardinales vero debent mox intrare et singuli absolvere defunctum Pontificem, dicentes unum responsorium cum suis versiculis et orationem pro defunctis, videlicet: *Deus, qui inter apostolicos* etc., et ut quisque absolvit, discedit. Cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis et fratres plumbatores lavent ejus corpus, tonsor vero radat barbam. Interim lavetur corpus cum optimo vino albo aromatizato et calido et loca spumantia impleantur aromatibus, mirra, thure et aloe. Nares et aures impleantur musco et demum bene fricentur manus et totum corpus balsamo, quod cubicularii et sacrista ministrabunt. Post haec poenitentiarum induant eum communes vestes usque ad Rocchetum, deinde sacras ac si esset celebraturus, incipiendo a sandaliis usque ad mitram simplicem, tum et Anulo cum Fanone,

Pallio, spinulis et omnibus ornamentis. Paramenta erunt *rubei* coloris; ponent inde corpus ita ornatum super feretrum sive lecticam coopertam aureo panno cum Pontificis et ecclesiae armis et subtus caput cervical ex panno aureo et ad pedes duo alii, super quibus erunt duo pilei pontificales. Corpus lavabitur et ornabitur in camera secreta et ornatum ponetur in lectica sive feretro in camera pagalli; et ibi usque ad diem, si Pontifex in nocte morietur, Poenitentiarum vigilantes et psallentes custodient corpus et habebunt expensas et omnia necessaria a Palatio. Deinde hora competentis, praecedente Subdiacono apostolico cum cruce, et cum cappa sua obscuri coloris, videlicet violacea, cantores capellae cantabunt *Subvenite*; et Poenitentiarum portabunt corpus ad capellam majorem. Portabuntur ante corpus viginti sex aut viginti octo intorticia accensa per scutiferos defuncti. Reliquum familiae sequetur. Cantores et Poenitentiarum cantabunt vespere et vigiliis pro defunctis, quousque venient alii Religiosi. Et nota, quod Camerarius, si non est Cardinalis, debet omnibus, dum fiunt, personaliter interesse. Si vero est Cardinalis, non ipse, sed Vicecamerarius intererit. Collegia Clericorum et Conventus Religiosorum, ut venerint, cantant vigiliis, aspergunt et incensant corpus et absolvunt, ut in exequiis Cardinalium diximus.

De funeris deductione et exequiis celebrandis in Basilica s. Petri et de panni distributione.

Postquam omnes absolverint, deducunt funus ad Ecclesiam s. Petri et ibi ponitur corpus in medio ecclesiae; praefertur multa intorticia et familia sequitur. Finito officio remanet ibi corpus per biduum aut triduum, ut populus possit illum visitare et os-

culari manum. In nocte reponitur in capella majori et tandem noctu sepelitur. Interdum vigiliae per collegia et conventus non cantantur sed per Canonicos beati Petri defertur corpus ad ecclesiam cum Capitulo et familia. Interim parantur exequiae, erigitur castrum doloris eum lecto et alia fiunt, quae in exequiis Cardinalium supra notavimus; sed largius et abundantius familiares Papae, officiales curiae et urbis officiales, si Romae fit, vestiuntur panno nigro, ut in libris Camerae apostolicae plenius apparet, ad quos vos remittimus. Fiant largae elemosynae pro anima Pontificis religiosi viris et mulieribus per Camerarium et thesaurarium et maxime si camera est dives. In prima die exequiarum leguntur ducentae missae cum elemosyna. Missam solemnem cantabit Prior Episcoporum Cardinalium. Fit sermo de laudibus Pontificis et in fine fiunt absolutiones a senioribus, ut in sepultura Cardinalium scriptum est. Accenduntur hac die intorticia multa circumcirca in ecclesia et candelae super castrum doloris et idem fit in die nono. Missam tunc cantat Superior Episcoporum Cardinalium.

De Novendialibus Papae defuncto celebrandis.

Intra novenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo a senioribus post Subpriorem Episcoporum, et leguntur centum missae. Intorticia circa ecclesiam et candelae supra castrum doloris non accenduntur; reliqua fiunt, ut in primo et novo die. Distributio cerae fit quotidie Cardinalibus, Praelatis, Familia, Curialibus et aliis, qui aderunt et quotidie fiunt absolutiones a Cardinalibus in fine missae circa castrum doloris. Quotidie post missam conveniunt Cardinales in loco congruo, consulentes de rebus ecclesiae et ordinantes conclave. Nona

die post missam de defunctis cantatur missa de Spiritu sancto et fit sermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

Catalanus, Caerem. Eccles. rom. l. I. pag. 403—407.

Papa decedens Romae sine electione sepulturae sepelitur in Basilica vaticana, in qua non possunt sepeliri nisi summi Pontifices et personae regales prout patet de principissa Mathilda tam bene merita Ecclesiae romanae, et novissime de Christina regina Suecorum ibi sepultis. Et ne quidem Eminentissimis Cardinalibus permittitur est inibi sepeliri: *Cohel* not. Card. privil. tit. 90., *Passer* de statib. hom. tom. 2. 9. 187. art. 4. n. 139., *Card. Petra* n. 27. referens dictam Basilicam amisisse legatum cujusdam, qui mandaverat ibi sepeliri. Et de sepultura Pontificis Rota romana juris tumultandi n. 14. die 20. Febr. 1702.

Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulturae decedere extra urbem nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in Ecclesia Cathedrali loci, ubi decedit, cap.: *Is qui* 3. de sepultur. in 6., *Rota* in romana juris tumultandi n. 16. die 20. Februarii 1702 coram D. Priolo; *Lavorius* tom. 1. variar. tit. 2. n. 45., *Sebastianus Medices* de sepultur. part. 1. cap. 11. qu. 7. n. 2., *Card. Petra* loco cit. n. 29. referens id de facto evenisse in aliquibus civitatibus, ut Neapoli et Salerni etc.

Papa potest sibi eligere sepulturam in quacumque sibi benevisa ecclesia, etiam Regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quae videntur in diversis etiam Regularium ecclesiis in urbe. Corpus tamen solet deferri semper ad dictam Ecclesiam s. Petri pro functionibus exequiarum explendis et deinde defertur ad ecclesiam electam. *Card. Petra* n. 37.

37) Parochi, a quo facienda?

Secundum synodales Constitutiones defuncti Parochi funus a viciniore Parocho fieri posse cum omnibus Clericis tam suae quam demortui parochiae, quae quidem constitutiones de Clericis tantum non vero de Canonicis possunt intelligi, *Rot.* in Cracovien. Praepositurae s. Floriani die 18. Martii 1757 §. 7. coram Frangipane, et Constantien. subsidii parochialis die 9. Junii ejusdem anni §. 12. cor. Bussio.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Januarii 1773. *Pisaur.*)

Vd.: *Sepult. sacerdot. defuncti.*

38) Parvulorum.

Cf.: *Exequiae parvul.*; *Sepult.* (elect., in Eccles. erig., per Triduum, ritus.) *Missa de Reg.* (pro infant.) *Visit. de funerib.*; *Sepult. impub.*

Ad dub.: An Patres Dominicani Andrien. possint asportare ad sepeliendum in eorum Ecclesia cadavera parvulorum ante septennium sine licentia Parochi? S. C. resp.: Negative, salvo jure probandi immemorabilem consuetudinem. N. 3828 ad 8 die 19. Jul. 1710.

Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in ecclesiis regul., si ibi est sepulchrum majorum vel concurrense consuetudine, si ibi pater eligat sepulturam. S. R. C. 12. Decbr. 1620.

Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse separatum. S. R. C. die 12. Decembris 1620.

Quicumque, sive sit infans sive impubes sive adultus, sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum, cum ibi tacite sepulturam elegerit videtur. S. C. Ep. die 21. Octbr. 1616.

Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent, quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam. S. C. Ep. *ibid.*;

et praesertim si pater sic sepeliri intendat. Die 22. Febr. 1641.

Mortuus est puer annorum novem non completorum, cujus simplicitatem, innocentiam, ingenuitatem cum ejus Parochus perspectas et evidentes haberet intimeque certus, quod malitia in eo non suppleret aetatem, prudenter et in domino judicavit ante annos discretionis et usum rationis ipsum obiisse, ideoque inter angelos recensendum censuit; quaeritur:

1) an praedictus Paroch. et pastor, qui oves suas cognoscere debet, in similibus casibus sit iudex ordinarius ad dignoscendum, an infantes frui debeant honoribus in exequiis parvulorum a Rituali praescriptis, adhibitis cautelis omnibus ad inquirendum si malitia suppleret aetatem?

2) Quid dicendum de Parocho, qui ita se gessit? S. R. C. resp.

Ad 1.: Strictim servandum Rituale;

Ad 2.: Male se omnino gessit.

Die 7. Septbr. 1851 in *Interam.*

(Vd. etiam Correspondance de Rome die 11. Maii 1851 p. 263.)

Ad dub.: An in funeribus, etiamsi defunctus parvulus sit, possit fieri *off. de adultis* et missa vot. de angelis? S. C. resp.: Negative et debent tolli omnino consuetudines, seu ut melius dicam abusus uti repugnantes rubricis. N. 2811 ad 5 die 16. Jan. 1677.

Pater potest eligere sepulturam pro filiis impuberibus in vita non post mortem eorum. S. C. C. die 6. Junii 1659.

Et mater, si pater non adest. Die 6. Decbr. 1641.

Ad dub. I.: An cadavera impuberum oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura designata existente in Ecclesia parochiali vel potius licitum sit parentibus tam ante quam post mortem

illorum pro eis sepulturam eligere, eaque tumulari facere in proprio sepulchro majorum in Ecclesia PP. Reformatorum existente? Et quatenus affirmative quoad secundam partem;

II.: an dicta cadavera deferri possint ad dictum sepulchrum majorum absque associatione Parochorum et Cleri saecularis post eorum monitionem ad interveniendum funeri et recusantium?

S. C. C. resp. ad I.: Negative quoad primam partem, affirmat. quoad secundam;

ad II.: Affirmative.

Die 15. Mart. 1704 in *Novarien.*

„Attendenda est ad rem sequens resolutio particularis Congregationis a Clemente XI. deputatae et adjecta statuto Cleri romani §. 7. et 8. ac relata a saepius laudato Cardinali de Lambertinis volumine 5. notificatione 17. his verbis: Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia parentum atque ad illam pertinent, licet in alia Parochia decedant. Patre vero orbatos quousque apud ipsam Matrem aluntur, licet in potestate tutorum non Matris existant, de Parochia Matris, non tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam dentur a Matre, domicilium in Parochia Matris, si vero utroque parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.“

Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse separatum. S. Rit. Congr. 10. Decbr. 1620 in civit. Castellan. Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in Ecclesiis regularium, si ibi est sepulchrum majorum vel concurrense consuetudine, si ibi Pater eligat

sepulchrum: S. R. C. 12. Decbr. 1620 in una civit. Castellan.

Sepulchrum eligere licet parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum. S. Congr. Episc. et Regul. die 20. Jan. 1610.

S. Congr. Regul. et Episcop. examinata prius diligenter relatione Episcopi censuit licuisse et licere parentibus in Ecclesia fratrum minorum Conventualium s. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum Ecclesiae cadavera infantum jam deposita, praemissis ceterisque quibuscumque non obstantibus.

Die 20. Martii 1643.

Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent, quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam: S. Congr. Episc. et Regul. 11. Octbr. 1716; et praesertim si pater sic sepeliri intendat: Ead. Congr. die 22. Febr. 1641.

Infantes alique quicumque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulchro suorum majorum vel in parochiali Ecclesia. S. Congr. Episcoporum et Regul. die 16. Novbr. 1625.

39) Parvulorum non baptizat.

Ad dub.: An liceat sepelire in loco sacro infantes sub dubiis reviviscentiae signis baptizatos? Tantum abest ut liceat, ut Congregatio s. officii pluries decreverit, ne baptizandos quidem esse infantes hosce.

Benedict. XIV. de synod. dioecesan. lib. 7. cap. 6. §. 11. et duob. seq.

Vd.: *Sepult.* (Mulier.; qui non sunt capaces?); *Visitat. de funerib.*

40) Parvulorum in sepulturis gentilitiis absque licentia Parochi.

Vd.: *Sepult.* (electio.)

Reatina.

Complures in civitate Reatis ex quovis ordine familiae sepulchra habent gentilitia tum in Cathedrali tum etiam in ecclesiis Regularium. Contendunt autem Parochi, puerorum cadavera ante septennium decedentium in parochiali esse omnino tumulanda, nec nisi de ipsorum licentia ad sepulchra gentilitia deferri posse, ita tamen ut in isto casu omnia funeris emolumenta Parochiae integre persolvantur. Aegre id ferentes ejusdem civitatis Patresfamilias ad omnem in posterum dirimendam controversiam infrascripta dubia EE. PP. decidenda proponunt.

Ad primum quod attinet, sustinent ex juris dispositione licere Patri filio pubertatem non egresso sepulchrum eligere, *cap. de uxore §. Virum autem de sepult., et cap. licet. 4. eod. tit. in 6.* In hoc convenire omnes doctores et consentanea esse sacrarum Urbis Congregationum decreta necnon statutum Cleri romani *cap. 3. de jure eligen. sepul. §. 4. et 24.* Hinc inferunt innixam juri deprehendi libertatem deferendi ad sepulchra gentilitia filiorum cadavera in infantili aetate decedentium, juxta *text. in cap. 1. de sepulturae.*

Juris dispositioni consonam esse inquit consuetudinem, cujus testes proferunt Praefectos sacrarii Ecclesiae Cathedralis et aliarum Ecclesiarum s. Dominici, s. Francisci et Augustini, qui omnes juramento affirmant, cadavera impuberum utriusque sexus tumulata

fuisse in sepulchris gentilitiis in iisdem Ecclesiis existentibus. Hisce autem testibus eo magis deferendum, tum quia deponunt de observantia, quae juri conformis est, *cap.: Quia saepe de praebend. in 6., Rot. in recent. decis. 58. n. 2. part. 2. et dec. 54. n. 14. part. 4. tom. 2.,* tum etiam quia testimonium perhibent de re ad proprium officium spectante, *Rot. cor. Lancetta dec. 51. n. 3. tom. 1. coram Molin. dec. 1027 n. 15. et seq. tom. 4.*

Addunt rejiciendam omnino esse contrariam a Parochis jactatam consuetudinem, quae vel nullo documento probatur vel probata nihil relevaret, nisi canonizata monstretur in contradictorio judicio et legitime admissa cum subsequuta acquiescentia, *cap. final. de consuetud. in 6., Rot. coram Cavaler. dec. 172. n. 5. et coram Burat. dec. 129. n. 6.,* alias tamquam abusus et corruptela sperni debeat *cap.: Jamdudum de probat., Pignatell. consult. 140. n. 29., Sperel. dec. 139. n. 10.* Caeterum ad ejusdem contrariae consuetudinis eversionem unicum etiam actum in contrarium gestum sufficere, *Rot. coram Ludovis. dec. 162. n. 9. et coram Falconer. tit. de Miscellan. dec. 74. n. 16.,* nec in praesenti casu plures deesse contrarios actus, quos iidem testes specialiter recenseant.

Neque obstare putant a Rituali romano *tit. 6. cap. 6.,* Ecclesiis tantum parochialibus injunctum esse praeceptum retinendi sepulchra pro infantibus. Animadvertunt enim nequaquam ex hoc sublatum fuisse jus Patris eligendi sepulchrum pro filiis infantibus vel eorum cadavera humandi in sepulchro gentilitio, *Barbosa de offic. et potest. Paroch. cap. 26. n. 28., Rot. dec. 88. tom. 1. cor. Sperell. et dec. 5. ad notat. 3. n. 18. cor. Panimoll.*

Quo vero ad alterum dubium emolumenta respiciens, ea deberi asserunt in quarta parte, prout disponitur in Synodis annorum 1716 et 1746, eamque a sola Ecclesia tumulante praestandam esse, non autem ab haeredibus, qui ultra consuetum funus praegravari non debent, *cap. de his 4. de Sepult., cap. cum super., cap. certificari, cap.: In nostra 10. eodem tit. et cap. 2. eod. tit. 1. in 6.*

Parochi contra animadvertunt ad primum, jus esse parochiali eccles. defunctos sepelire, qui absque electione sepulturae obierint, *cap. 1. 2. et 5. de sepultur. in 6., Fagnan. cap.: Fraternitatem eodem tit. n. 4., Card. de Luca de Paroch. discurs. 31. n. 8.,* proindeque puerorum cadavera ante septennium decedentium non nisi quam in Parochiali fore tumulanda.

Negant ullum jus competere Patribus familias eligendi sepulturam pro filiis infantibus eorumque cadavera tumulandi in sepulchris gentilitiis, cum neutrum jure ipsis liceat, nisi id invexerit consuetudo, *cap.: Licet. 4. de sepultur. in 6., Vavar. consil. 2. n. 1. de sepult., Pyrrhing. lib. 3. decret. tit. 20. n. 9.,* quae concludentissime probanda esset, *Card. Petra tom. 2. comment. ad constit. 2. Honorii III. sect. unic. pag. 39., sub n. 9., Rot. coram Ludovis. dec. 276. n. 1.* Tantum vero abesse dicunt, ut Patres familias consuetudine juvari possint, quin potius contraria prorsus vigeat in civitate Reatis consuetudo sepeliendi in parochialibus Ecclesiis puerorum cadavera, qui ad annum aetatis septimum nondum pervenerint.

Hanc autem consuetudinem testibus probare nituntur deponentibus ex certa scientia, tum ex majorum traditione, iisque inquit omnimodam fidem adhibendam esse, quia de facto proprio testantur, *Constantin. oct. decis. 213.*

n. 9., Rot. in recent. decis. 324. n. 29. part. 17., et qui deponunt cum qualitatibus ad constituendam immemorabilis consuetudinis probationem requisitis, *Gloss. in cap. 1. verb. Memoria de praescript. in 6., Rebuff. de decim. quaest. 15. n. 94.* Hujusmodi vero consuetudinem, tamquam legem omnino servandam sustinent *cap. final. de consuet. et §. Ex non scripto instit. de jur. nat. gent. et civil.,* et ab illius observantia nullo modo deflecti posse, *L. Vetustissima cod. de jur. domin. impetr., Rot. in Constantien. subsidii Parochialis die 9. Junii 1755 §. 4. coram Bussio,* maxime quia si aliquando contingit, ubi Patresfamilias filiorum cadavera humare desideraverint in sepulchris gentilitiis, licentiam a proprio Parocho expostularint, quae fuit ipsis quandoque denegata, frequentius vero concessa. Et de his humationibus factis cum licentia Parochorum verificari casus, quos referunt Praefecti sacrarii tum Ecclesiae Cathedralis tum ecclesiarum s. Dominici, s. Francisci et s. Augustini.

Hinc ad II. dubium Parochi eadem allegant consuetudinem. Ajunt enim, licentias tumulandi puerorum cadavera in sepulchris gentilitiis non aliter fuisse concessas, nisi cum reservatione jurium parochialium et cum onere persolvendi omnia funeris emolumenta, perinde ac si in Parochiali tumularentur. Id ex libris parochialibus et ex testibus resultare, atque ideoconcludunt, integra emolumenta juxta hanc consuetudinem eisdem esse adscribenda, *Rituale rom. tit. de Exequiis vers. caveant, Ursaya discept. Eccles. tom. 3. part. 1. disc. 12. n. 15.*

Quaestio, quae modo agitur, ex facto et ex jure pendet. Ex jure habemus, quod filii impuberes sepeliri debeant in sepulchro majorum aut in parochiali Ecclesia, nec nullo modo liceat Patri-

busfamilias alibi pro filiis sepulturam eligere, nisi contraria regionis consuetudo arbitrium hoc ipsis adscripserit. Id statutum legimus in cap.: *Licet de sepultur. in 6.: Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habet) quo voluerit sepelire; hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali Ecclesia tumulandi.* Notat autem Gloss. in citato cap. vers. parochialis, nec non Barbos. de offic. et potest. Paroch., Anaclet. in lib. 3. decret. tit. 27. n. 41. aliisque, posteriora illa verba juxta scripturae ordinem non esse intelligenda in sensu diviso, ut scilicet seposita consuetudine possit pater filium impuberem pro libito vel sepulchro majorum vel in Parochiali sepelire sed illum humare omnino debere in sepulchro majorum, si adsit, si vero non adsit, in Parochiali.

Cohaeret quoque textus in cap.: *Nos instituta 1. de sepulturis, ubi haec habentur: Nos instituta majorum Patrum considerantes statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus decet.* Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et etiam alienam. Quo in loco Leo III. decrevisse videtur, ut possit unusquisque sibi sepulturam eligere, et si non elegerit, humari debeat in sepulchro majorum, eoque deficiente, in parochiali ecclesia tumuletur. Ad rem etiam conferunt, quae disponuntur in cap. *Ebron et cap. Unaquaeque 13. quaest. 2.,* ex quo exemplo veterum Patrum et Patriarcharum eruitur, filiorum cadavera in sepulchro parentum esse collocanda, proindeque lib. 1. regum. 13. poenam dictum legimus prophetae, qui contra praeceptum domini comederat

in Bethel: *Non infertur cadaver tuum in sepulchro Patrum tuorum.*

His consentaneae sunt nonnullae decisiones, quae diversis temporibus prodierunt S. Congreg. Episcoporum et Regularium, quas refert. P. Cavalieri tom. 3. cap. 7. in decret. 9. n. 1. te sep. Die namque 21. Octobris 1613 ita statuit: *Quicumque, sive sit infans sive impubes sive adultus, qui sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum, cum ibi tacite sepulturam elegisse videatur.* Et die 16. Novbr. 1645 declavavit: *infantes aliique quicumque, qui facultatem non habent sibi eligendi sepulturam vel non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulchro suorum majorum vel in parochiali ecclesia.* Super quo quidem decreto observat P. Cavalieri, per particulam disjunctivam non concedi optionem electionis magis pro una Ecclesia, quam pro alia; sed juxta ordinem scripturae ita intelligendam esse, ut in sepulchro majorum, si adsit, si vero non adsit, in Parochiali debeant tumulari.

Insuper eadem S. Congregatio die 20. Januarii 1740 respondit: *Sepulturam eligere licet parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum.* Cumque eveniret in civitate Asculi, ut cadaver ejusdam puellae tumulatum fuerit in Ecclesia Cathedralis, non autem in Ecclesia, ubi sepulchrum majorum constructum reperiebatur, die 22. Februarii 1641 ita decrevit: *Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent quicumque carent*

facultate sibi eligendi sepulturam et praesertim si Pater sic sepeliri intendat.

Ac tandem cum in civitate Forsempronii decessissent nonnulli infantes, quorum parentes humari illorum cadavera optabant in sepulchro majorum sito in Ecclesia fratrum minorum conventualium s. Francisci, orta controversia est, num in ista Ecclesia tumulari deberent vel potius in Cathedrali, ubi aderant separata sepulchra pro parvulis. Verum S. Congregatio die 20. Martii 1643 examinata prius diligenter relatione Episcopi censuit: *licuisse et licere parentibus in Ecclesia fratrum minorum conventualium s. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum Ecclesiae cadavera infantium jam deposita, praemissis caeterisque quibuscumque non obstantibus.*

Perpendi tamen etiam debent, quae in Rituali romano his verbis exposita sunt: *In primis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum et Ecclesiarum sepulchris sed ut pro illis in parochialibus Ecclesiis aut illorum coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis locos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes vel pueri, qui ante annos discretionis obierint.* Verum hujusmodi verba hortari magis quam cogere. Parochos videntur, ut reparata sepulchra pro infantibus retineant, neque vetant, quominus cadavera impuberum in sepulchro majorum sepeliantur.

Hinc quamvis S. Rit. Congregatio civitatis Castellanae die 12. Decbr. 1620

edixerit: *Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse distinctum: nihilominus eodem die et anno in alia causa declaravit: Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in Ecclesiis regularium, si ibi est sepulchrum majorum vel concurrente consuetudine, si ibi Pater eligat sepulturam.*

Non dissimilis fuit sac. hujus Congregationis sententia in Novarien. Asserebat Episcopus, nullam fuisse electionem sepulturae pro filio impubere a Patre factam, quia in loco Varralli nulla aderat consuetudo Patri favorabilis. Verum cum Pater elegisset sepulchrum majorum, ubi filii cadaver tumulari voluerat, animadversum fuit, non ex consuetudine sed ex jure cadavera impuberum, qui absque electione sepulturae obierint, in sepulchro majorum fore tumulanda, ut docent Monacell. tom. 2. tit. 13. form. 1. n. 93. Hinc proposito die 15. Martii 1704 dubio: *An cadavera impuberum oppidi Varralli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura destinata existente in Ecclesia parochiali vel potius licitum sit parentibus ea tumulari facere in proprio sepulchro majorum in Ecclesia Patrum reformatorum.* Responsum fuit: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

In Fanen. Sepulturae. Cum Pius Georgius post erectum sacellum in Ecclesia PP. Capuccinorum, in eo sepulchrum construxisset pro se suaque familia, ibique sepeliri curasset cadaver filii in pupillari aetate defuncti, Parochus Mondarii proponi curavit dubium: *An electio sepulturae sustineatur pro persona tantum Pii Georgii vel potius pro tota ejus familia in casu etc.? Sed die 9. Maii 1719 S. Congregatio respondit: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

Haec omnia in praesenti controversia

erant ex jure animadvertenda. In facto vero ponderandum superest, an revera adsit in civitate Reatis contraria consuetudo? An sit immemorabilis? An juris dispositioni praevalere debeat? Perpendendum quoque quanti faciendae sint adversus assertam hujusmodi consuetudinem dispositiones Sacristae Cathedralis et aliarum Ecclesiarum, qui speciatim recensent, pueros impuberes in majorum sepulchro fuisse tumulatos.

Quoad emolumenta Parochis debita, de quibus in altero dubio disceptatur, animadvertere praestat, quid in Synodis Reatinis disponatur. In Synodo habita ab Episcopo Bernardino Guinisio anno 1616 ita sancitum legitur: *Pro regulanda vero quarta sive funerum juriis observari omnino volumus immemorabilem consuetudinem a majoribus in hac civitate introductam, qua attenta dimidium candelarum feretrum cadaveris comitantium ad Parochum spectat, si in ejus Ecclesia vel Parochia sepeliatur cadaver. Sin autem in alia Ecclesia extra Parochiae limites sepeliatur, ad Parochum quarta tantum cerae pars spectet et altera quarta ad Ecclesiam, in qua sepelitur: altera vero medietas inter religiosos et Clerum ita dividatur, ut unicuique ordini religioso et Clero saeculari cadaver comitantibus una detur candela, reliquae vero candelae ad libitum haeredis distribuantur.* Id ipsum dispositum quoque fuit in Synodo anno 1747 sub Episcopo Camarda celebrata, per haec verba: *Volumus, quod si in eorum (Parochorum) Ecclesia vel Parochia sepeliatur cadaver, dimidium candelarum feretrum cadaveris comitantium ad Parochum spectet; sin autem in alia Ecclesia vel extra paroeciae limites sepeliatur, inhaerentes constitutioni Benedicti XIII., quae incipit: Romanus Pontifex, declaramus ad Parochum*

quartam pertinere partem intortitorum et candelarum etiam quae in altaribus accenduntur. Quod si funus non fieret in die tumulationis sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differatur, Parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa tumulum honorarium sunt, atque etiam in immemorabili in contrarium non obstante, altera autem ad Ecclesiam, in qua sepelitur, et altera medietas inter religiosos et Clerum ita dividatur, ut unicuique ordini religioso et Clero saeculari cadaver comitantibus una detur candela et reliquae si superfuerint ad libitum haeredis distribuantur.

Episcopus in sua informatione super precibus a patribusfamilias huic S. Congregationi oblati nihil peculiare habet. Quare ab EE. VV. definiendum erit:

I. *An Patribusfamilias competat jus eligendi sepulturam pro infantibus ante septennium morientibus et respective tumulandi eorum cadavera in sepulchris absque licentia Parochorum, seu potius illa sepeliri debeant in ecclesiis parochialibus in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. *An et quae emolumenta funeralia debeantur Parochis in casu?*

S. C. resp. ad I: Licere patribusfamilias tumulare filiorum impuberum cadavera in sepulchris gentilium sine licentia Parochorum et amplius;

ad II: Affirmative ad formam synodalem Constitutionum et amplius.

Die 10. et 31. Mart. 1770.

41) Pauperum.

Vd.: *Quarta funer.* (in tumul. paup.); *visitat. de funerib.*

Cadavera pauperum fidelium gratis omnino tumulari et sepulturae tradi debent. S. Congr. Episcop. et Regul. in Cassanensi 5. Maii 1617. Clemens IX. in constitut. 38. incipiente: *In excelsa.*

Vd.: *Sepultura* (gratis facienda.)

42) Personar. regal.

Vd.: *Const. Sixti V. t. III. p. II. pag. 34. 71.*

43) Regularium vel Regularibus inservientium.

Vd.: *Sepultura* (facienda a Regul.; Monachor.); *Quarta funeralis* (Parocho non debetur); *Sepult.* (electio p. 46., parvulorum, Cardinalium.)

Oblati, Donati seu Tertiarii atque etiam Saeculares, qui Regul. deserviunt et intra eorum monasteriorum septa ac domos resident et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti sed ratione servitutis, sunt inibi irrequisito Parocho tumulandi; isti namque eximuntur a subjectione ordinariorum et parochorum et gaudent privilegiis Religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati, cum sepultura potissimum dependeat ab administratione Sacramentorum, ut ponderavit Rota recent. part. 11. decis. 384. n. 9. et notant doctores communiter, si supradicti omnes recipiunt Sacramenta independenter ab Ordinario et Parocho in Regularium ecclesia; et sic in terminis firmat Card. Petra loco cit. n. 42.; Card. Petra loco cit. n. 42., Card. de Luca de Regularibus disc. 1. n. 50., Passerin cit. tom. 2. de statib. hominum quaest. 187. art. 3. a. n. 228., Matthaeucc. loco cit. n. 9. et alii communiter.

Secus autem saeculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia nec continui commensales et cum saeculares exteris extra monasteria habitant et vivunt; isti enim, si non habeant sepulchrum majorum vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria Parochia, juxta resoluta.

*Novitii et Novitiae sepulturam sibi non eligentes, debent sepeliri in monasterio, ubi decedunt et absque ulla obligatione solvendi portionem canonicam Parocho loci: Engel lib. 3. decretal. tit. 18. n. 12., Reiffenstuel ibi n. 20., Cardinal. Petra loco cit. n. 38. et alii communiter; et ratio est, quia in favorabilibus Novitiis et Novitiae veniunt nomine religiosorum et religiosarum, arg. cap.: *Religiosa* §.: *Quamvis* 21. de sentent. excommunication. in 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa, de quibus testatur *Donatus* tom. 3. tract. 10. quaest. 4. n. 2. et etiam universalis consuetudo religionum, quae derogaret legi contrariae, si quae adesset, cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine.*

*Insuper debent Novitii et Novitiae sepeliri in monasterio, ubi decedunt, etiamsi habuissent animum determinatum exeundi a religione: Card. Petra loco cit. n. 38. cum Palao et aliis ibi citatis, Silvester verb. *sepultura* quaest. 8., Engel loco cit. n. 20. et alii: et ratio est, quia non voluntas et affectus sed factum mutat statum et domicilium, l. *domicilium* 20. ff. *Ad municipalem.**

Immo in monasterio, ubi decedunt, sepeliri debent etiam juvenes saeculares et puellae nondum habitu regulari induti seu indutae, sed de brevi induendi seu induendae et jam ut Novitiatum admissi seu admissae, et sic sub obedientia regulari per aliquos dies incipiant experiri religionis austeritates.